



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولي BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ

N. 170527f

Saturday 27.05.2017

Letter to the special envoy to the celebrations of the 375th anniversary of the founding of the Shrine of Kevelaer, Germany, dedicated to Our Lady “Consolatrix Afflictorum” (3 June 2017)

On 1 April 2017, the Holy Father Francis appointed His Eminence Cardinal Karl-Josef Rauber as his special envoy to the celebrations for the 375th anniversary of the founding of the Shrine of Kevelaer, Germany, dedicated to Our Lady *Consolatrix Afflictorum*, scheduled to take place on 3 June 2017.

The special envoy will be accompanied by a papal mission, composed of the following ecclesiastics, in pastoral service at the aforementioned Marian shrine:

- Rev. Don Josef Cornelissen;
- Rev. Don Michael Wolf.

The following is the letter sent by the Pope to His Eminence Cardinal Karl-Josef Rauber:

Letter of the Holy Father

*Venerabili Fratri Nostro
CAROLO IOSEPHO S.R.E. Cardinali RAUBER
Diacono Ecclesiae S. Antonii Patavini ad Circumitionem Appianam*

Beata Virgo Maria, “humilis ancilla Domini, Christum concipiens, generans, alens, in templo Patri sistens, Filioque suo in cruce morienti compatiens, operi Salvatoris singulari prorsus modo cooperata est, oboedientia, fide, spe et flagrante caritate, ad vitam animarum supernaturalem restaurandam. Quam ob causam Mater nobis in ordine gratiae exstitit” (*Lumen gentium* 61). Ideo iure meritoque christifideles, praesertim bellis aliisque periculis oppressi, ad maternam tutelam Deiparae uti filii per saecula fidenter configiunt, eius invocantes praesidium.

Cum quidem trecenti septuaginta quinque anni a constitutione Sanctuarii Sanctae Matris Dei sub titulo

Consolatrix Afflictorum Kevelariae elapsi sint, Venerabilis Frater Felix Genn, Episcopus Monasteriensis, humanissime postulavit ad huiusmodi eventum digne memorandum ut mitteremus illuc Patrem Purpuratum. Nos autem sine ulla haesitatione te, Venerabilis Frater Noster, Germaniae praestantissimum filium, qui fere quinquaginta per annos in Sanctae Sedis servitio variis in locis fideliter diligenterque operatus es, qui etiam Matrem Dei iugiter sincero veneraris affectu, ad hanc honorificam explendam missionem libenter destinamus.

Quam ob rem hisce Litteris te **Nostrum Missum Extraordinarium** constituimus ut in oppido Kevelaria die III proximi mensis lunii Nostris vicibus fungaris Nostramque simul geras Personam in agendis dicti Sanctuarii iubilaribus celebrationibus. Hac oblata occasione, toto corde per te salutamus cunctos ibi congregatos Christifideles et Pastores, qui Sanctam Dei Genetricem admodum fidenter et frequenter invisunt atque pientissime invocant, eosque caritate Nostra amplectimur.

Pastores enixe cupimus exhortari in Deo, *qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis* (2 Cor 5,18), ut ardenter exerceant eis a Deo commissum hoc munus sese dicantes Sacramenti Reconciliationis administrationi pro spirituali lucro tot fidelium in peccatorum spinis implicitorum, quos Mater Misericordiae contritos ad Iesum et Ecclesiam reducit. Oportet enim haec dulcissima Regina oculorum intuitu maternoque affectu nos concitet ad opus perficiendum cum Deo et inter homines reconciliationis necnon melioris futuri precibus ac patientia collatis viribus aedificandi.

Te ergo comitetur in missione tua intercessio Beatissimae Virginis Mariae, quae ibi sub titulo Consolatrix Afflictorum colitur, atque sancti Ioannis Pauli II, qui triginta ante annos ad hoc Sanctuarium peregrinatus est. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae auspicem propensaeque Nostrae voluntatis testem, cunctis adstantibus et Matrem Dei pie venerantibus Episcopis, sacerdotibus, diaconis, Seminarii alumnis, religiosis viris et mulieribus christifidelibusque laicis nomine Nostro largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Maii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS
